



V, 82.

2.417a



CVRIAM
REGNITIANAM
NON. NVLLO. IVRE
HERMVNDVRORVM
COGNOMINANDAM
DISSERIT. VI

VT
AD. ANNVM
CIDI^{CC}CLV
DE. PACE. RELIGIONIS. GERMANIAE
QVAM. SALVTARI
SECVLAREM
QVIPPE. QVEM. NOSTRVM. NE. Q. SPECTAVIT
QVISQVAM. NEC. SPECTATVRVS
PIIS. VOTIS. RITE. CAPESSENDVM
DIE. EIVS. ALTERA

IN
ALBERTINOFRIDERICIANVM
STATIM. POST. SACRA. MATVTINA
CVRIAE. PROCERES. CIVES. Q
QVO. DECET. CVLTV
CONCIERET
GYMNASII. RECTOR
PAVLLVS. DANIEL. LONGOLIVS
A. M. FAC. PHIL. LIPS. ADSESS. ET. SOC. TENENS. LATIN. SOC. HONORARIVS

CVRIAE. REGNITIANAE
LITERIS. IOANNIS. ANDREAЕ. HETSCHELII
GYMN. TYP

CAPVT II.

VNDE HERMVNDVRORVM NOMEN?

HERMVNDVRORVM nomen inuestigaturum deterruerit Cluuerius, qui, 1.) *istius modi antiquarum gentium vocabula ad originationem velle redigere, furoris potius, quam ingenii existimat.* Adeo is antiquam Germaniam emensus fatetur, quid nomen HERMVNDVRORVM significet, iuxta cum maxime ignavis ignorare se se. Nihil tamen ego moror, quo minus, quod ingresus sum, stadio pergam confirmatus ab Arnolde, *gentem istam dignum gloria nomen ad posteris transmisisse, credente.* 2.) Dabitur vero, quoniam, qui ante me HERMVNDVRORVM nominis rationes reddiderunt, rei satis haud videntur fecisse, vt ALIORVM excusis MEAS exponam salua cuiusque fama.

Sectio I.

VNDE HERMVNDVRORVM NOMEN ALIIS?

Fuerunt autem, qui HERMVNDVRORVM nomen a DIIS, fuerunt, qui a CREATIS arcessuerunt. Sigillatim quosque audias.

Intersectio I.

A QVIBVS DHS HERMVNDVRORVM NOMEN?

Index dictorum.

§. I. Num a DIIS?

§. V. Ab HERCVLE?

§. II. Ab HERA?

§. VI. Ab HORO?

§. III. Ab HERMETE?

§. VII. Ab HECATE?

§. IIII. Ab HERTHA?

§. I.

HERMVNDVRORVM origines consecrant et ad deos referunt, nescio an, vt miscendo humana diuinis eorum primordia augustiniora faciant, quidam, qui, vereor, vt legerint in Caesare, 1.) *Germanos deorum numero eos solos duxisse, quos cernebant, et quorum opibus inuabamur, Solem et Vulcanum et Lunam; reliquos ne fama quidem accepisse.* Non audierint Lucanum 2.) de iis canentem:

-- Si--

1.) German. Antiq. Lib. III. Cap.

XXI. qua chorda oberrat Alexander

XXXXVI. haud multum ab extremo.

ab Alexandro Gen. Dier. Lib.

2.) De Hermunduris §. II.

VI Cap. XXVI.

§. I. 1.) De Bell. Gall. Lib. VI. Cap.

2.) Pharsal. Lib. III. vs. 4. 13. seqq.

*Simulacraque moesta deorum
Arte carent, caesisque exstant infœmia truncis.
Ipse situs putrique facit iam robore pallor
Adtonitos: non vulgatis sacrata figuris
Numina sic metuunt: tantum terroribus addit,
Quos timeant, non nosse deos.*

Vbi igitur Germanorum, mi Corneli, 3.) tibi *Mercurius, Mars, Hercules, Isis* obuenerunt? 4.) Tullius 5.) tuus te ipsum sibilo exploferit, *Quot hominum linguae*, inquit, *tot nomina deorum*. Non enim, vt tu *Velleius*, *quocumque veneris, sic idem in Italia Vulcanus, idem in Africa, idem in Hispania*. 6.)

§. II.

Degenerauit igitur adeo *Hermunduri* a communi popularium suorum ingenio, vt de *Graecia* *HPAN* adoptarent? Sit enim, per me licet, Romanorum *Inno*; 1.) quale autem cum ea *Hermunduris* aliisue Germanorum commercium? Scilicet, quando fila quaedam a vermiculis in aere conflata, qualia festum inter nariuitatis Christi et epiphaniae Domini in aere volitant, quod nostro sub caelo plerumque mense Nouembri contingit, fuerit subinde rudis plebecula hinc inde, quae *Vrow Here die flughet* dictitabat. 2.) *Perfuafum* enim habet, 3.) duodecim noctibus, quas olim a nocte longis-

H 2

gislima

3.) De Morib. Germ. Cap. VIII.

4.) Exinde merito suspectus Barthol. Christ. Richardo Disp. de Dubia et Incerta Cornelii Taciti Fide in Germanorum Deorum Historia Ienae cræpæxviii habita.

5.) De Nat. Deor. Lib. I. Cap. XXX.

6.) Haec vestigia legi in Originibus *Αυθραπεθυσίας* a Vulgari Crudelitatis Crimine Vindicatis §. VIII. Conferas Max. Reu. Schuzii Apologiae pro Germanis partem tertiam.

§. II. 1.) Interpretibus Gobelino Persona in Cosmodrom. Aet. VI. Cap. XXXVII. in Meibomii Script. Rer. Germ. Tom. I. p. 235. Cran-

zio Saxon. Lib. II. Cap. VIII. et Reinesio Synt. Inscript. Antiq. Cl. V. N. XXXVIII. p. 378. cui subscripserunt Caluœrius in Saxon. Infer. Antiq. P. I. Lib. I. Cap. XI. §. 88. et Keyserus de Mulier. Fatidic. §. XXXXI. in Antiq. Septentr. et Celtic. p. 433.

2.) Obseruauerunt ex eodem Gobelino id Arnoldus de Hermunduris §. II. et Weisfius Antiq. Misnic. Sax. Singul. Cap. XVIII. p. 386. sqq. atque ex Cranzio Saxon. Cap. II. §. 2. p. 265. V. Pl. R. Abelius Antiq. Saxon. Cap. II. §. 2. p. 265.

3.) Quae in eodem Weisfio legas.

gissima computabant, iam a Christi natali, HERAM per liberum ferri aerem, mortalibusque largiri diuitias. 4.) His addit Weisfius, alios malle, Dianam nocturni luminis, lunae, praesidem HERAM fuisse, vt in Ioanne Sarisberienfi est, atque stamina ista aerea contemplantibus et *Iunonem* et *Dianam*, alteram aeris, alteram lunae nocturnaeque lucis deam in mentem venire potuisse, quoniam vtrique in illis colligandis suum est officium, sua operatio. Aequè incertum est, an illud *Eresburgum* Irminsula famosum ab ista HERA dictum. 5.) Plane autem suffragor Weisfio censenti, audacem fore nimium, qui nominis et diuinitatis HERAE apud Germanos initium aperire vellet iactaret. Frustra igitur eius recordatus est Arnoldus 6.) *Hermundurorum* nomen enucleaturus. Sobrius existimauit Mollerus, 7.) vix gentis nostrae aliquem crediturum, nomen suum *Hermunduros* nactus esse ex HERA peregrinae linguae vocabulo. Significauerit enim quoque 8.) Graecis *EPA terram*, 9.) qua tamen voce vt vsi sint maiores nostri, tantum abest, vt potius paullo post 10.) confiterit, non opus fuisse peregrina.

§. III.

Litera propius accesserint, qui 1.) ab orco reuocant, immo ab Aegyptiis HERMETEM. Parum diuertunt, qui, 2.) *hinc* Herminones dictos esse, volunt, quos esse quibusdam *Hermunduros*, proxime 3.) videas. Dixerint alii 4.) statuas illas Mercuriales *Hermas*; non tamen

4.) Ad quae conferre iubet idem Weisfius Waltheri Monum. Magdeb. pag. 47.

5.) Quod legas in Gobelino et Cranzio antea citatis et in Weisfio Cap. XXI. p. 401. vt et Lucae *Sürst. Saal.* p. 934.

6.) De *Hermunduris* §. II.

7.) Dramate Historico, quo, quae ante *Freibergam* conditam a nato Christo his in oris gesta sunt, explicat, *Pens. I.*

8.) Vt vult Vosfius *Etymol. LL.* pag. 516.

9.) §. III.

10.) Sane Lucae modo nominatus *Heram* et *Hertbam* vnam facit, §. III. 1.) Merito notati ab Arnoldo et Mollero modo citatis.

2.) Ex indicio Omeisii de Germanorum Veterum Theologia et Religione Pagana Num. I. p. 3.

3.) *Intersect. II.*

4.) Quos e egit *Cel. Otto de Diis Vial, P. I, Cap. VIII. p. 164. seqq.*

mett 5.) inde Germanorum *Herman* 6.) *Irminsulave*, 7.) nisi suffragensis Magnifico Baumgartenio *Egum* ex Celtico *Armes* petenti. 8.) Quis autem iste 9.) nostris? Ex interpretatione Romana, inde enim nati istius modi deos, 10.) *Mercurius*. Hunc, scribit Tacitus, u.) Germanos *deorum maxime coluisse, cui certis diebus humanis quoque hostiis litare fas habuisse*. Vocauerit forte in partes causae patronus Caesarem 12.) et Tertullianum 13.) tribuentes quidem *Mercurium* Gallis, quo tamen nationes quasdam Germanorum transmigrasce, iudicat Cornelius idem. 14.) Speciem veri fecerit, quod toties expectatus Tacitus 15.) memoriae prodidit, *bellum Hermunduris prosperum, Cattis exitio fuisse, quia victores diuersam aciem Marti ac Mercurio sacrauere, quo voto equos, viros, cuncta victa occidioni data*. Quin immo ex Alexandri ab Alexandro 16.) sententia apud Hermunduros *inter solemnia vota belli duces sacrare diuersam aciem, illamque Marti et Mercurio deuouere consueuerunt, quo voto equi, viri, spolia et machinae, et cuncta bello quaesita occisione fuerunt data*. Scilicet *Mercurium* Saxones coluerint. 17.) Saepe miratus sum, ista *Hermundurorum* nominis incunabula haud peti Augusta Vindelicorum, vbi in aedibus Peutingerianis superstes est *Mercurius*

H 3

rius

5.) Vt quidem idem Omeifius I. c. Althamerus et Dithmarus ad Tac. Germ. Cap. VIII. item Cranzius Saxon. Lib. II. Cap. VIII. Hachenbergius Germ. Med. Disf. VIII. §. VI. atque Turkus Fast. Carol. p. 6. apud Weisium p. 399. seqq. putant.

6.) De quo proxima Interiect. II.

7.) Vt et de hac.

8.) Ad Historiam Orbis Vniuersi eius opera illustrati Cap. XII. Sect. III. §. 593. p. 499.

9.) Quem nosse si tanta cupido, adumbrabit Cel. Brukerus Hist. Crit. Tom I. p. 251. seqq.

10.) Fatente ipso Cornelio Cap. XXXIII.

11.) Cap. VIII. ex quo reperit Alexander ab Alexandro Lib. VI. Cap. XXVI.

12.) De Bell. Gall. Lib. VI. Cap. XVII.

13.) Apologet Cap. VIII.

14.) Cap. XXVII.

15.) Annal. Lib. XIII. Cap. LVII.

16.) Genial. Dier. Lib. III. Cap. XXII.

17.) Ex sententia Adami Bremensis Hist. Eccl. Lib. I. Cap. VI. p. 8. Fabricii Hodoepor. p. 86. Middendorpii de Acad. Lib. V. p. 117. Engelhusii Chronol. p. 152. Bruschii Chronol. Monast. Germ. p. 45. Lipsii ad Tacit. p. 549.

vius atque hinc inde in inscriptionibus. 18.) In hac enim *splendissima Raetiae provinciae colonia passim et sine custodia transierunt Hermunduri, adeo ut Romani eius domos villasque patefacerent iis non concupiscentibus eodem Tacito auctore. 19.) Perierint quasi sorrex, quia ista marmora Augustana, ut alia huius generis per Germaniam, loquuntur non nisi nomina Romana, quae tamen forent Teutonica, si inde probandum, 20.) Hermunduros aliosue eius gentis Hermetis Mercurii fuisse cultores, 21.) aut iis a Romuli nepotibus obtrusum. 22.) Non dum enim inter omnes 23.) convenit, illorum Mercurium transmigrasse in Germanorum Wodanum, 24.) induisseve 25.)*

Teu-

18.) Apud Velsperum in Antiqu. August. Vindel. Monument, inter opera eius p. 366. seqq. Doederlinum Antiq. Gentil. Nordgau. §. XXVIII. Gen. VV. de Falkenstein Antiq. et Memorab. Nordgau. Vet. P. I. Cap. III. §. VI. et de Stetten Annal. Augustian. Cap. II. §. VIII. et XVII.

19.) German, Cap. XXXXI.

20.) In quo multus est Gen. de Falkenstein Antiq. et Memorabil. Nordg. P. I. Cap. III. §. VI.

21.) Quod ex firmis rationibus pernegat Keyserus de Monumento Salisburienfi Stone-Henge Sect. II. Cap. III. §. I. in eius Antiq. Septentr. et Celtic. p. 186. seqq.

22.) Ut maullt Albinus Chron. Misn. Tit. XI. p. 147.

23.) Quin potius, *Wodanum* vel *Guodanum* multo alium fuisse, quam Romanorum *Mercurium*, nempe summum Deum atque vniuersi praesidem, hoc est, nostratum *Gorr*, recte animaduertat in Vosfio de Orig. et Progr. Idolol. Lib. I.

Cap. XXXVI. p. 102. Cl. Haltausius in Calend. Med. Aeu. Cap. II. §. IIII. Sed et pluribus Keyserus de Cultu Solis, Freji et Othini §. 14. seqq.

24.) Ut quidem edixerunt Paullus Diaconus *Rer. Langobard. Lib. I. Cap. VIII.* castigatus tamen a Schurzfleischio de *Reb. Sueogoth. §. VIII.* in nota, Gotfridus Viterbiensis *Chron. P. XVII.* in Pistorii *Script. Rer. Germ. Tom. II. p. 305.* Lucae *Sürsten-Saal p. 930.* seqq. Althamerus ad *Tac. Cap. VIII.* Eccardus de *Orig. Germ. Lib. II. §. LVII.* Doederlinus *Antiq. Gentil. Nordgau. §. VIII.* de Falkenstein l. c. *Singularia Norimbergensia P. II. p. 10* seqq. Conferantur *Hachenbergius Germ. Med. Diss. VIII. §. VI.* et *Sablonski ad Tacitum Cap. II.*

25.) Ut censent Alexander ab Alexandro *Genial. Dier. Lib. VI. Cap. XXVI.* Albinus et Omeisus *ll. cc. Cluuerius Germ. Antiq. Lib. I. Cap. XXXVI.* Schedius de *Dijs German. Synt. I. Cap. V. p. 157.* seqq. Hermannus in *Mitweida Lib. II. Cap. I. p. 143.*

Teutaten, 26.) *Teutanem*, 27.) *Tuisconem*, *Tuisconem* 28.) *Tuitonemue*, tantum enim est auctorum atque codicum antiquorum discidium, 29.) quem non *Hermunduris* sed *Teutonibus Tuisconis* nomen dedisse, intelliget, 30.) quicumque non captus est oculis auribusque.

§. III.

Tertium genus 1.) ea ex parte illis praestat petens 2.) patrios lares penatesque vel vt suae sententiae palladium. His *Hermunduri* dicuntur *Herrwoner* ab HERTHO HERTHAUE. Illud enim nomen inuocanti non secus precandum ac priscis, siue diuus siue diua; adeo non dum constat eius genus. 3.) Istud interpretatur idem Tacitus 4.) *terram, quae rebus hominum interueniat, inuehaturque populis*. Quis est autem, qui non, quod in nostratium ore adhuc, *Erde* ibi deprehendat. 5.) Quoties enim non vocabula a vocali incipien-

26.) Lucani Pharsal. Lib. I. vs. 445. ad quem Micyllus et Oudendorpius consulendi.

27.) Lactantii Diu. Instit. Lib. I. Cap. XXI.

28.) Taciti de Morib. Germ. C. II.

29.) Obseruantibus atque componentibus iam Cluuerio Germ. Antiq. Lib. I. Cap. VIII. Leibnitio de Orig. Gent. in Miscel. Berol. Tom. I. Herrio Not. Vet. German. P. I. Cap. I. §. II. Omeisio de German. Vet. Theol. N. I. p. 3. Iunkero Introd. in Germ. Med. Aeu. P. II. Cap. I. p. 119. seq. Doederlino §. VIII. Weisfio Antiq. Mifn. Saxon. Singul. Cap. I. p. 3. seq. et Cap. XVIII. p. 382. seq. Lacarrio, Leibnitio, Dithmaro, Iablonski ad Tacitum modo citatum, ac Gen. de Falkenstein, § III.

30.) Saltem intellexerunt Cluuerius l. c. p. 183. Omeisius et Weisfius II, cc. Gundlingiana P. VII, N, I, Alt-

hamerus, Conringius, Leibnitius et Dithmarus ad Tac. Germ. Cap. II.

§. III. 1.) Indice Arnaldo aliquoties iam nominato

2.) Vt Dalechampius ad Plin. Hist. Nat. Lib. III. Cap. XIII. et Beatus Rhenanus Rer. Germ. Lib. III. p. 122.

3.) Testibus vel Vossio de Progr. et Indol. Idolol. Lib. VIII. Cap. III. Doederlino §. V. et XIII. Abelio Antiq. Saxon. Cap. II. §. 2. p. 265.

4.) Cap. XXXI.

5.) Deprehenderunt sane Althamerus ad Tac. Germ. Cap. II. et XXXX ad quod etiam Lacarius, Conringius, Lipsius, Kirchmaierus, Dithmarus, alii, item Cluuerius Germ. Antiq. Lib. I. Cap. XXVII. p. 191. sq. Olaus Rudbekius Atlant. P. II. Cap. VI. Schedius de Diis Germ. Synt. I. Cap. VIII. p. 221. Omeisius N. II. p. 19. Micraelius Antiq. Pomeran. Lib. II. §. 16. p. 13. Abelius Antiq. Saxon.

cipientia acuuntur *h* maioribus nostrisque? 6.) Et quot *th* et *d* factis distincte enunciat? 7.) EX HERTHA autem *HERMUNDURIS* praeter primam syllabam nihil. Vnde reliquae? Nam si tres litterae exhauriunt vocem quatuor syllabarum, vel per somnium fueris Oedipus literator.

§. V.

Cur non etiam HERCVLI illud laboris imposuistis, in cuius claritatem, quidquid ubique magnificum, referre consueverunt mortales? Superesse enim in Germanis *Herculis columnas*, fama vulgavit, aditque *Hercules* illos ex coniectura Corneliana. 1.) Quid? quod, fuisse apud maiores nostros et *Herculem* memorabant, primumque omnium virorum fortium iuri in proelia canebant. 2.) Cui non dictus *Hercules Alemannicus*? 3.) Eum concessis animalibus placasse, vult Tacitus. 4.) Eundem *Boiorum gentem* condidisse, vnde *Cimur* regem *Germaniae magnae* fuisse, quem maiores nostri caelesti nomenclaturae adscriperunt, belloque praefecerunt, reperisse in *annalibus et bibliothecis Boiariae publicis*, iactitat *Auentinus*, 5.) atque etiam, eius aureum signum in *Richauia coenobio Saeuorum tum feruari*, et in *Boaria manere adhuc vicum et arcem Almoftain pagum, et flumen Alemanum*, testes *Herculis* locupletissimos. 6.) Quantum autem annis obstabat, *Danubii* puto, quo minus *Hercules*, qui tot superauerat, et eum transiret, et *Hermunduros* conderet atque

Cap. II. §. 2. p. 265. Doederlinus §. XIII. Wachter Gl. Germ. v. *Herthe* p. 721. seq. Gen. de Falkenstein p. 33. et III. Comes de Bunau Hist. Imp. et Caes. P. I. Lib. I. p. 64.

6.) Quam in rem evolue vel notam 4. ad §. VII. Cap. I. Sect. I. Int. II. huius libelli, vt et Wachterum Gl. Germ. Prolegom. Sect. III. Adde, quae describit Cluuerius p. 192.

7.) Obseruante praeter Wachterum sub *D* et *T*, Io. Henr. Schustero de Indole Linguae, IIII. Cardinal. Cap. II, Sect. I, §. I.

§. V. 1.) In German. Cap. XXXIII, 2.) Quae aequae Corneliana ex Capite III.

3.) Ex *Auentino* Annal. Boior. Lib. I. Cap. III. n. 1. Bergero Thef. Palat. p. 16. Keyslero Antiq. Septentr. p. 195. Hachenbergio §. V. Althamerio ad Tac. Germ. Cap. III.

4.) Cap. VIII.

5.) I. c. vnde Althamerus et Hachenbergius, vt et Lucae p. 930. et Gen. V. de Falkenstein §. VII.

6.) Ne plura, quae Omeifus de German. Vet. Theolog. N. I. p. 10.

atque ex se diceret, praesertim cum vel in hunc vsque diem eius signum Norimbergae in arce. 7.) Sed quem ad modum de *Hercule* Germanorum adhuc sub iudice lis est, 8.) ita idem valet hic, quod paullo ante de *Hertha* 9.) valuit. Sed et sunt, 10.) quibus *Hercules* Germanorum *Herman*, 11.) a quo *Herminones* 12.) aequae ac *Irmenseul* quasi *Hermanseul*. 13.)

§. VI.

Fuerint forte aliquando, quibus *Isidis* *Osfridisque* filius *HORVS* 1.) auctor *Hermundurorum*. Eius enim vestigia, est, qui 2.) in villa *Orsheimio* vel *Vrsheimio* inuenit. Sed et *Tacitus* 3.) scribit, *partem Sueuorum et Isidi sacrificare*. Iam cum *Hermunduri* natio *Sueuorum*, 4.) *Isenacum* quoque *Thuringorum* ac *Islebia* et *Isfelda* atque *Isenberga* *Augustae Vindelicorum* *Isidem* prae se ferunt, 5.) quae

I

forte

7.) Quam in rem multis *Singularia* *Norimbergensia* P. III. p. 25. seqq.

8.) Auctoribus *Keysero* *Antiq.* *Septentr.* p. 183. seqq. *Schwarzio* de *Columnis Herculis* *Sect.* VIII. *Cel.* de *Popowitsch* in fronte libri elegantissimi de *Mari*, et *Cl. Steffenio* *Hist. Incol. Vet. Germ.* Cl. III. p. 278. fqq.

9.) S. III.

10.) Ex indicio *Hachenbergii* §. VI. et *Iablonski* ad *Taciti Germaniam* in *vernaculam translata* *Cap.* VIII.

11.) De quo *Intersect.* II. in *posteriorum*.

12.) Pariter ac de his.

13.) Et de hac.

§. VI. 1.) Quem propius noscendum dabunt *Herodotus* *Lib.* II. *Cap.* CXXXIII. et *Plutarchus* *epi.* *Isidos* *epi.* *Isidos*, vt et *Macrobius* *Sa-*

turn. *Lib.* I. *Cap.* XXI. ac *Alexander* ab *Alexandro* *Lib.* VI. *Cap.* XXVI.

2.) *Waegemannus* in *Druidenfusse* p. 22. ex indicio *Doederlini* §. XXIII. p. 32.

3.) *Cap.* VIII.

4.) Quibus illos pluribus vindicant *supra* *Capitis* I. *Sect.* II. *Intersect.* I. *parte posteriori*.

5.) Vt sibi persuaserunt *Althamerus* ad *Tacit.* *German.* *Cap.* VIII. *Schedius* de *Diis Germanis* *Synt.* I. *Cap.* VIII. p. 226. seqq. *Omeisius* *N.* II. p. 15. seqq. *Fabricius* de *Marchionibus Misniae* p. 37. seq. *Doederlinus* §. XXIII. *Singularia Norimbergensia* P. I. p. 8. secuti forte *Auentinum Germanicum* *Lib.* I. *Cap.* VI. *Isidem* per *Eisen* vertentem. *Disfentiunt* *Paullini* *Annal.* *Henac.* §. 2. *Olearius* *Rer.* *Thuringie.* *Syntagm.*

forte in ipsis *Hermundurorum* finibus, immo ea supra 6.) memorata *Hertha*; 7.) miror, nondum in *HORO Hermunduros* inuenisse, quod pueri in faba, quia *o* et *e* haud raro commutantur. 8.) Verum cum idem Tacitus *parum comperit, unde causa et origo* 9.) *Isidis sacro, peregrino Germanis, qui ex eiusdem effato nec cobibere parietibus deos neque in ullam humani oris speciem adsimilare ex magnitudine caelestium arbitrabantur; qui HORI religio aut signum aduectum ad Hermunduros nominatque ex eo, quem ignorabant?*

§. VII.

Ecce procul ternas *HECATE* variata figuras exoritur, 1.) Haec videtur 2.) quibusdam *Isis*. Ea vero, si diis placet, a Suevis pro dea culta siue ipsa *Hertha* fuit. 3.) Quis non inde nomen petat *Hermundurorum*, qui est ex numero eorum, quibus cum mihi iam negotii fuit? Plura non addo.

Quanto feliciores nos, qui discussa illa caligine in luce ambulare quimus. Hac nobis frui dederunt diuinis auspiciis comitia Augustana a. d. VII. Calendas Octobres *CIODLV*. Materia igitur amplissima est in annum hunc secularem vota nuncupandi.

CHRISTIANVS ADAMVS WEIS, Curiensis, ostendet, *religionis pacis anno seculari non melius inueniri noua vota suscipiendi argumentum, Germanica.*

Part. I. p. 56. Gotterus de Eisenberg. Gynaec. Cap. I. Gen. de Falkenstein Antiq. et Memorabil. Nordgau, P. I. Cap. III. §. X. p. 45.

6.) §. III.

7.) Quod placuit Auctori Vitae Caroli M. p. 98. apud Doederlinum §. XXIII. p. 32. atque Omeisio p. 18. vt et Weisio Antiq. Misn. Saxon. Singul. Cap. XVIII. p. 385.

8.) Et Latinis, vt docuit multis Cor-tius de Vsu Orthogr. Latin. Cap. III.

§. VIII. et Teutonibus, vt Wachterus Gl. German. Prolegom. Sect. III. sub O.

9.) Quam detexit Cel. Otto de Diis Vial. P. I. Cap. V. p. 77. seqq.

§. VII. 1.) Vt cecinit Claudianus de Rapt. Proserp. Lib. I. vs. 15. pluribus illustratus ab Ortone P. I. Cap. VIII. p. 136. seqq.

2.) Apud Doederlinum §. XXIII.

3.) Vt paullo ante §. VI. videas.

IOAN-

IOANNES CHRISTOPHORVS HARTVNG, Sparnecensis, quae-
ret, *quae Augustae Vindelicorum praecipua gloria*, Latina.

IOANNES DAVID KOLBE, Thurnauiofrancus, adferet ratio-
nes, *illam pacem tribus per Germaniam principibus religioni-
bus aequae necessariam esse*, vernacula.

GEORGIUS IOACHIMVS FRANK, Curienfis, inquiret, *D. Mau-
ritius Saxoniae septemuir armis an pace illa promouenda clarior*,
Latina.


IOANNES ADAMVS RIEDEL, quo in contubernio Viri Nobi-
lissimi Ioannis Friderici Fleischmanni Serenissimo Principi a
recipiendis varii generis redivitibus Pegnitii formetur adole-
fcens haud inepto ingenio, qui hac tenus operam suam no-
bis dedit, parentabit Romano habitu *Manibus istius pacis pararii
D. Ferdinandi submonitus consilii de pace ecclesiastica clementis-
simis ab abnepte eius dignissima Maria Theresia cum maxime agi-
tatis*, versibus autem Germanicis dicet valere scholae, cui eum
tradebat septem abhinc annis pater probae indolis Ioannes Ge-
orgius metalli fosfor Lichtenbergae in vicinia. Hic istius fi-
lius vnicus superstes in alumneum receptus commendabat se
voce eleganti atque ex binis annis in auditores primi ordinis
cooptatus suscepris, quae iam solvimus, votis cantu patrio
agentis *personam superstitiosi ad pulvinaria praecipuorum deo-
rum pro cuiusvis salute supplicantis*.

PETRVS REIMVNDVS POLAND sermone patrio monstrabit, *an-
num hunc secularem sibi pro acriori monitore fore, munus sacrum
atque scholasticum*, ad quod rei sacrae per prouinciam Curianam
Antistes longe Grauisissimus atque Excellentissimus eum voca-
uit, Geroldsgrunae quam proxime ineundum, *pie obire*, cui se
se tredecim annis et, quod excurrit, in gymnasio patrio, natus
enim est hic Curiae Ioanni Adamo decrepito ciui pellioni, et
in auditorio superiori quinque annis tranquille et assiduo accin-



xit eiusdem alumneo fruitus. Recitavit inde semel in Martinilibus anni cioroccl. quod sit aequum iustumque reformationis memoriam festo die celebrare, orationem Germanicam, deinde in die Fridericorum sequentis anni pro iisdem clauum rei publicae Brandenburgicae prudentissime tenentibus vota suscipiens soluensque carmen Germanicum.

Agmen claudam ego precatus Deum, vt, 'quibus debetur a me id officium, bene cedant haec secularia, binis vltimis bona pace de septis nostris missionem flagitantibus daturus,



Yb 4473

1078

ULB Halle

3


006 302 904



20







CVRIAM
REGNITIANAM
NON. NVLLO. IVRE
HERMVNDVRORVM
COGNOMINANDAM
DISSERIT. VI

VT
AD. ANNVVM
CICIDCCLV
DE. PACE. RELIGIONIS. GERMANIAE
QVAM. SALVTARI
SECVLAREM
QVIPPE. QVEM. NOSTRVM. NE. Q. SPECTAVIT
QVISQVAM. NEC. SPECTATVRVS
PIIS. VOTIS. RITE. CAPESSENDVM
DIE. EIVS. ALTERA
IN
ALBERTINOFRIDERICIANVM
STATIM. POST. SACRA. MATVTINA
CVRIAE. PROCERES. CIVES. Q
QVO. DECET. CVLTV
CONCIERET
GYMNASII. RECTOR
PAVLLVS. DANIEL. LONGOLIVS
A. M. FAC. PHIL. LIPS. ADSESS. ET. SOC. IENENS. LATIN. SOC. HONORARIYS

CVRIAE. REGNITIANAE
LITERIS. IOANNIS. ANDREAE. HETSCHELII
GYMN. TYP